

clesiæ sentiunt se de hoc magnopere aggravati et onerati, clamantes cum Apostolis Domini, sed quid hæc inter tantos? disidentesque se de eis posse vivere juxta eorum statum, et gradum sacerdotalem; volentes ex hoc antedicti modernus plebanus et cæteri titulati prædictæ Ecclesiæ consulere eorum indemnitati, et procurare eorum victum quotidianum, recurrendo super hoc ad S. Sedem Apostolicam, et devote ac reverenter ad pedes SS.ⁱ ac beatiss.ⁱ D. N. Papæ, ab ea, et ab eo impetrare, ut sibi in hac parte subveniatur, ac de opportuno juris remedio provideatur:

Ideo capitulariter congregati antedicti D. Plebanus, et infrascripti titulati Ecclesiæ prædictæ in Sacristia dictæ Ecclesiæ ad sonum campanellæ de more, de licentia, ut asseruerunt mihi notario infrascripto, R.^{mi} in Christo Patris et Domini, D. Petri Francisci Contareno, miseratione D.ⁿⁱ Patr.^{is} Venetiar. Dalmatiæque Primatis, pro infrascriptis specialiter peragendis: in quo quidem Capitulo interfuerunt et primo R. D. P. Gaspar Blanco plebanus benemeritus; D. P. Alexander Falcono; D. P. Petrus Lupatus; D. P. Alexander de Expertis; D. P. Petrus de Benenatis, presbyteri titulati; et D. P. Baptista de Boschettis Diac.ⁱ tit.ⁱ et D. P. Hieronymus Silvius Subd. tit. Ecclesiæ prædictæ S. Cassiani, omnes vocem habentes in Capitulo, ac facientes et representantes totum et integrum Capitulum dictæ Ecclesiæ, agentes suis propriis nominibus, ac vice & nomine successorum suorum, ac omnium & singulorum nunc & in futurum suo quomodolibet interesse putantium, unanimes & concordēs, ac nemine ipsorum penitus discrepante, tenore præsentis publici instrumenti, contenti fuerunt & sunt, quod per dictum R. D. Pleba-